

CONFESSIO

FIDEI

51 41  
~~53 48~~

# Christianæ,

edita nomine

ECCLESIARUM POLONICARUM

quæ unum Deum & filium ejus unigenitum  
JESUM CHRISTUM cum Spiritu  
Sancto profitentur.

[Schlichting Jener]

1642.

~~52~~

14  
20

COPIED 2010

# CHRISTIANA

etiam nomine

ECCLIAE REFORMATAE

EX XVII<sup>to</sup> 209 & 220

que unum Deum & filium eius unigenitum  
JESUM CHRISTUM  
satis dicuntur

*Handwritten signature or name*

1643

20

JONAS SCHLICHTINGIUS DE BUCKOWIEC  
LECTORI SALUTEM.



Symbolum, quod Apostolicum vocatur, antiquissimum esse, ipsamque simplicissimam, qualis ab initio fuit tradita, Apostolicam continere veritatem, à nemine fuit dubitatum. Quae causa nobis fuit, ut cum toti Orbi testatum esse vellemus, nos ipsi Apostolica & primavae veritati in omnibus insistere, in edenda hac Ecclesiarum nostrarum confessione Symboli istius vestigia presso pede sequeremur. Unde nemini mirum videri debet, si vel fidei dogmata latius hic persecuti non simus, ea dixisse contenti, quae in simplici confessione simplicibus & indoctis sufficere possint; quorum causam non minus, quam propter sapientes & doctos ista scribimus: vel, cum omnia, quae commemoratu necessaria esse duximus, ad hoc Christianae veritatis compendium revocare conati fuerimus, nonnulla coactis videri alicui possint esse inserta. Porro dissimulandum non duximus tertiam Symboli istius partem, quae de fide in Spiritum S. & in ea quae sequuntur agit, quamvis verissima fidei Christianae dogmata contineat, non ejus tamen antiquitatis à quibusdam censerì, ut eam cum prioribus duabus partibus, quibus fides in Deum & filium ejus Jesum Christum describitur, ab ipso statim initio conjunctam fuisse existiment. Nam quod ad articulum

de fide in Spiritum S. attinet, quamvis iste cum fide in Deum & in Dei filium evolutè ac distinctè proponi mereatur; Tertullianus tamen, Author inter Latinos Theologos antiquissimus, regulam fidei Christianæ immobilem & irreformabilem, ut ipse ait, ex hoc Symbolo referens, illius non meminit, lib. de Virg. veland. alibi verò, de præscr. Hæret. libro, regulam fidei similiter tradens (quanquam jam ab hac primæva, respectu personæ Christi, abludentem) non aliter hunc articulum proponit, quàm ut credamus Christum in cælos receptum sedere ad dexteram Patris, misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat. Nec sanè Scriptura, ut in Spiritum S. credamus, quamvis id rectissimè & verissimè dicatur, usquam expressè dicit. Articulorum porrò sequentium, Symbolum Nicænum in recitatione Symboli Apostolici, nullam facit mentionem, sed in verbis *Credo in Spiritum Sanctum* subsistit. Nec sanè articulis istis, in quos, (ut institutum fuerat, & quò reliqua omnia referri poterant) sed tantùm quæ vel in quæ credere oporteat, docetur. Quod si tamen ab ipso statim initio unà cum superiori articulo de fide in Spiritum Sanctum sunt appositi, ut scilicet per eos explicaretur, quid fides in Christum contineat; argumento nobis esse possunt, primos istos Christianos, vel non aliter in Spiritum S. credidisse, quàm in ista, quæ addiderunt, sequentia: (quo pacto etiam hanc tertiam Symboli partem apud Socratem expressam videmus, lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. xxvi. Credimus in Spiritum S. & in carnis resurrectionem, & in vitam venturi seculi, &

in regnum

537D  
in regnum cœlorum, & in unam Catholicam Dei Ecclesiam. Eandem verò partem Theodoretus lib. 1. Eccl. Hist. cap. 14. in epistolâ Alex. ad Alex. postquam dictum esset, fides nostra est in solum ingenitum Patrem &c. & in unum Dominum Jesum Christum &c. ita refert: Confitemur & unum Spiritum Sanctum qui innovavit & veteris testamenti sanctos homines, & ejus, quod novum appellatur, divinos doctores: unam & solam universalem Ecclesiam &c; posthæc scimus futuram resurrectionem à mortuis &c. Nempe in res scitu & cognitu necessarias credere, non alio sensu dicitur, quàm de earum certitudine ac veritate nihil dubitare: vel si primi isti Christiani in Spiritum S. tanquam in Divinum Ecclesiæ Doctorem credendum esse dixerunt, quod rectissimè fieri agnoscimus, eo ipso tamen, dum eum in rerum, quæ personæ non sunt, censum referunt, sese de Spiritu S. usitatissimâ figurâ loqui, innuerunt. Quod verò speciatim ad hunc de Ecclesia articulum attinet, sciendum est Ecclesiæ Catholicæ nomē in Scripturis non reperiri: videturque post Apostolorum demum tempora hæc appellatio reperta ad arguendos hæreticos, qui dogmata aliis Christianorum Ecclesiis ignota, invehant. Et sanè Catholicum ità spectandum est, ut simul ponatur esse Sanctum & Apostolicum. Alioqui enim Catholicus hic foret error, non Catholica veritas. Articulus de Sanctorum communione, ut & sequentes reliqui, non sine argumento videri possint ab initio non fuisse additi, quòd in articulo de judicio vivorum & mortuorum omnes possint comprehendi.

prehendi. Denique articulus de carnis resurrectione, sequen-  
tium temporum stylum magis sapit quàm Apostolicum ; si-  
quidem Scriptura de resurrectione mortuorum agens, hac lo-  
quendi ratione non utitur. Quæ omnia utut se habeant, cùm  
tamen articulis istis ea explicentur, quæ fides in Christum  
verissimè continet, non dubia est illorum apud nos authori-  
tas. Jam porrò Symbolum hoc omnia quæ ad Christianam  
fidem, & sic æternæ salutis adeptionem requirantur, contine-  
re, vel inde patet, quòd antiquitus ad hæc usque tempora in  
omnibus Christianorum Ecclesiis usu receptum sit, eos qui  
Ecclesiæ per baptismum aggregantur, non de aliis quàm de  
Symboli istius articulis interrogare ; & si ad omnia in hoc  
Symbolo expressa interrogati annuerint, eosdem in Christia-  
num nomen cooptare ; qui mos nunquam in Ecclesiis inva-  
luisset, nisi jam olim creditum fuisset, Symboli istius profes-  
sionem, plenam esse & genuinam Christianismi tesseram :  
quam cùm unicam Ecclesiæ nostræ agnoscant ; non ullæ aliæ  
magis, quàm istæ, Christianum nomen & titulum debent  
usurpare. Hæc erant, de quibus te paucis monere volui,  
Lector Benevole ; tu boni consule & candidè judica, & ca-  
ve ne eos damnes, quos ipse Dominus pro servis suis non de-  
dignatur agnoscere. Vale.

# CONFESSIO

fidei

# CHRISTIANÆ



Confessionem fidei nostræ edituri, ut eam verè Christianam & Apostolicam & Catholicam esse constet, per Symboli, quod Apostolicum vocatur, quodque ab omnibus Christianorum Ecclesiis agnoscitur, singula capita, singulos fidei nostræ articulos, sive Symboli ipsius verbis expressos, sive alia aliqua ratione in iis significatos deducemus; & ne quid ad veritatis certitudinem desit, clarissima Scripturæ canonica (cujus apud nos hæud dubia est autoritas) testimonia ubique verbis nostris vel inferemus, vel subjiciemus, vel eorum loca in margine notata apponemus. Scriptura enim, quomodo Ecclesia credere debeat, ostendit.

Symbolum verò quomodo etiam ab initio crediderit, ostendit.

## Credo in Deum.

**C**redimus in Deum, qui, quia *a* Deorum omnium est summus, propterea Deus *b* absolutè, aut cum excellentiæ significatione nominatur, & Deus *d* unus, Deus *e* solus, Deus *f* verus esse dicitur, quem simul *g* æternum, *h* immensum, *i* summè sapientem, & summè iustum, *l* summè bonum, *m* summè liberum esse, *n* & universa providentiâ suâ curare agnoscimus. Ut ita qui in hunc non credat, is & impius sit, & frustra in ullo alio fidem collocet.

### Scripturæ Testimonia.

- a* Deut. x, 17. Psal. cxxxvi, 2: vocatur Deus Deorum; Deus altissimè passim. Vide inter multa, Luc. i, 35. vi, 35. viii, 28.
- b* Hujus rei & in sacris & in profanis innumera sunt exempla.
- c* Hujus idem rei tot sunt exempla, quoties apud Græcos; absolutæ voci DEL, articulus excellentiam denotans, præfigitur.

A

*a* Deut.

2  
d Deut. VI, 4. Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus (nomine tetragrammato) unus est.

Marc. XII, 29. 32. Unus est Deus, & non est alius præter ipsum.

i Cor. VIII, 4. Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicuntur Dii, sive in cælo, sive in terra; (sicut sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus est Deus.

i Tim. II, 5. Unus est Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.

e Ioan. XVII, 3. Christus ad patrem: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Huc pertinent illa Scripturæ dicta, in quibus alius præter ipsum Deum esse negatur. Dent. IV, 35. xxxII, 39. Psal. xvIII, 32. Esa. xlv, 6. 18. &c.

f i Thef. I, 9. Conversi estis ad Deum à simulachris, servire Deo vivo & vero, & expectare filium eius de cælis, quem suscitavit ex mortuis Iesum, qui eripit nos ab ira ventura. Vide & i Ioh. V, 20.

g Psal. xc, 2. Præquam montes nascerentur, & formares terram & orbem, & à sæcula usque ad seculum, tu es Deus.

Psal. xcII, 2. A seculo tu es.

Iob xxxvI, 26. Numerus annorum eius inestimabilis.

Gen. xx, 33. & Rom. xvi, 26. Vocatur Deus æternus.

h Deut. x, 17. Deus magnus. Sic & Paralip. II, 5. Iob xxxvI, 26. Psal. IxxvII, 13. xcv, 3. xcvi, 4. cxxxv, 5.

Ierem. xxiII, 24. Numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.

i Reg. VIII, 27. Cæli & cæli cælorum te non capiunt.

j Psal. cxlvII, 5. Sapientia eius non est numerus. Esa. xl, 28. Nec est investigatio sapientia eius. Rom. xvi, 27. & i Timoth. I, 17. Soli sapienti Deo.

k Deuteron. xxxII, 4. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, iustus & rectus.

l Paralip. xix, 7. Non est apud Dominum Deus nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

Psal. cxix, 137. Iustus Domine, & rectum iudicium tuum.

m Paralip. xvi, 34. Psal. cvII, I. cxvIII, I. cxxxvi, I. Confitemini

Domino, quoniam bonus, & in seculum misericordia eius.

Psal. xxxiv, 8. Gustate & videte, quoniam bonus Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Matth. xix, 17. Nemo bonus, nisi unus, Deus.

n Exod. xxxIII, 19. Gratiam exhibebo, cui gratiam exhibebo, & miserebor; cuius miserebor. Sic & Rom. ix, 15. Psal. cxxxvi, 6. Omnia, quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis.

Matth. xx, 15. Aut non licet mihi facere, quod volo, in meis?

Rom. ix, 8. Ergo cuius vult, miserebitur: quem autem vult, indurat.

o Psal. xxxvi, 7. 8. Homines & iumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Illi autem hominum in regimine alarum tuarum sperabunt.

Psal. civ, cv, cvI, cvII, cxxxix, totis.

Matth. vi, 26. Respiciite volatilia cæli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

Et. vers. 30.



Et. vers. 30. Si *sanctus* gerit, quod *hodie* est, & *cras* in *debitum* mittitur, *Deus* se *vestit*; quanto magis nos, *modice* fidei.

Matth. x, 29, 30. *Nonne* duo *passeres* *asse* *veniunt*? & *unus* *ex* *illis* *non* *cadet* *super* *terram* *sine* *Patre* *vestro*. *Vestri* *autem* *etiam* *capilli* *capitis* *omnes* *numerati* *sunt*.

Sed quid opus est, *Scripturę* *loca* *in* *argumentum* *providentię* *divinę* *colligere*; cū *ipsa* *tota* *nihil* *aliud* *ferē* *loquatur*?

### Patrem omnipotentem.

**H**ic autem unus solus verus Deus est, Pater omnipotens, Pater h. primum quidem & singulariter Iesu Christi, deinde c. & omnium credentium; quippe quos fidei & vitę Christianę respectu per verbum suum d. genuerit, & sic genitos pro filiis adoptavit, qui, quia omnipotens est, omnia nobis, quę promisit, largi potest; quia verò Pater est, etiam largiri volet, ut sic merito in eum credamus.

### Scriptura Testimonia.

**I** Cor. VIII, 6. *Nobis* *unus* *est* *Deus* *Pater*, *ex* *quo* *omnia*, & *nos* *in* *illum*.

Cap. xv, 24. *Deinde* *finis* *cū* *tradiderit* (nempe Christus) *Regnum* *Deo* & *Patri*.

Vers. 28. *Tunc* & *ipse* *filius* *subiectus* *erit* *ei*, *qui* *subiecit* *ipsi* *omnia*, *ut* *sit* *Deus* *omnia* *in* *omnibus*.

**E**ph. I, 6. *Unus* *Deus* & *Pater* *omnium*, *qui* *est* *super* *omnes*, & *per* *omnia*, & *in* *omnibus* *nobis*.

**I** Thess. I, I & II Thess. I, I. *Paulus* & *Silvanus* & *Timotheus*, *Ecclesie* *Thessalonicensium* (quę est) *in* *Deo*, *Patre*, & *Domino* *Iesu* *Christo*.

**M**arc. XIII, 32. *De* *die* *autem* *illo* (nempe ultimo) & *hora* *nemo* *scit*; *neque* *Angeli* *neque* *filius*, *nisi* *Pater*.

**M**atth. XXIV, 36. *Nisi* *solus* *Pater*.

**H**uc pertinent ea loca, in quibus Deus Iesu Christi Pater vocatur, aut Iesus Christus Filius Dei appellatur, quę sunt plurima: Similiter & illa, in quibus Iesus Christus Patrem nominans, ipsum intelligit Deum; quę etidem, apud Ioannem præsertim, sunt creberrima; inter quę sunt illa Christi ad Iudęos verba: **Ioan. 8, 54.**

*Si* *ego* *glorifico* *me* *ipsum*, *gloria* *mea* *nihil* *est*; *est* *Pater* *meus*, *qui* *glorificat* *me*; *quem* *vos* *dicitis*; *quia* *Deus* *vester* *est*.

**D**eum, Patrem nostrum vocari cuilibet est obvium, iplaque quotidiana præcatio, quam nos Christus docuit, unumquemque illius rei admonet.

**H**uc pertinent & salutationes Apostolicę: *Gratia* *vobis* & *pax*, *à* *Deo*, *Patre* *nostro* & *Domino*, *nostro* *Iesu* *Christo*. Epistolis præfixę.

**R**om. VIII, 29. *Quos* *pręservavit*, *eos* & *prędestinavit* *conformes* *fiere* *imagini* *fili* *sui*; *ut* *sit* *ipse* *primogenitus* *inter* *multos* *fratres*.

**H**eb. II, II. *Qui* *sanctificat* (id est, Christus) & *qui* *sanctificatus* (id est, Christiani) *ex* *uno* (id est, Deo) *sunt* *omnes*; *propter* *quam* *causam*, *non* *confunditur*, *fratres* *eos* *vocare*, *dicens*: *annunciabo* *nomen* *trium* *fratrum* *meorum*; *in* *media* *Ecclesie* *laudabo* *te*.

4  
d. 1 Ioan. v. 1. Omnis, qui credit, Iesum esse Christum, ex Deo genitus est; & omnis  
qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui genitus est ex eo.

e Gal. iv, 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex ma-  
lier, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Item Rom. viii, 15.

### Creatorem cœli & terræ.

c Gen. 1, 3.  
6. 9. 10. 14.  
20. 24.  
Psal. 33, 6.  
Hebr. xi, 3.  
1. Pet. 3, 5.

I Dem Deus, ab alio, quamvis a veteri, opere descriptus, est b cœli & terræ  
Creator, proinde & omnium, quæ cœlo & terra continentur: quæ universa c  
solo iussu produxit, & producta conservat: quæ rerum omnium creatio & conser-  
vatio sicut immensæ illius & potentia, & sapientia, & bonitatis & providentia  
argumentum continet evidentissimum; sic nos ad omnem cultum & veneratio-  
nem & obedientiam illi exhibendam penitus obstringit: ut & nos rectè in eum cred-  
damus; & qui e Creatore suo præterito, f aut sine illius voluntate, creaturas  
etiam religiose colant, g quique in rerum creatarum humano arbitratu manuque  
factis simulachris, divinitatem venerentur, non immeritò in Deum injurii haberi  
possint.

### Scripturæ Testimonia.

a Veteri creationi opponi novam, temporibus Euangelij per Christum fac-  
tam, multa docent Scripturæ dicta: Inter alia vide, Esa, 65, 17. Rom. 8, 19, 20.  
21, 22. 2 Cor. 5, 17. Gal. 6, 15. Eph. 2, 10, 15. 3, 9. 4, 24. Coloss. 1, 15, 16.  
20. 3, 10. Hinc in novo Fædere libentius describitur Deus ab operibus sub novo  
fædere patris. b Deum cœli & terræ creatorem esse Scriptura docet, eumque  
ab hoc opere creberrimè describit, ut loca memorare nihil attineat. Hunc verò  
ipsum esse Patrem Iesu Christi similiter ex multis Scripturæ locis constat. Inter  
alia Act. 4, 24. Discipuli Christi unanimitè voce ad Deum sublata dicunt: Domine  
tu es Deus, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt; qui Spiritu Sancto per  
os Davids, tui filii, dicitur: quare fremuerunt gentes, & populi, meditati sunt  
inania. Adhuc erunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum ad versus Dominum, &  
ad versus Christum ejus. Convenerunt enim verè in civitate ista ad versus Sanctum puerum  
tuum Iesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, facere  
quæ manus tua & consilium deesse verant fieri. Et nunc, Domine, respice in minas eorum, & da  
servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo ut manum tuam extendas, ut sint tates.  
c signa & prodigia sunt per nomen Sancti Filii tui Iesu.

d Apoc. 16, 7. Clamat Angelus voce magna: Tremete Deum, & date illi honorem  
quia novit hora quædæm ejus; & adorare eum, qui fecit cælum & terram, & mare & fontes  
aquarum.

e Rom. 1, 25. Commutarunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servie-  
runt creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in secula; Amen. Propterea tradidit  
illos Deus in passionem ignominie, &c.

mo 11 b

AA

f Marth.

f Matth. 4, 10. Dominum Deum adorabis, & illi soli servies.  
 Sic Exod. 34, 13. Non incurrabis te Deo alteri. Nam Dominus Zelotes nomen ejus.  
 Deus Zelotes est.

Huc & primum Decalogi præceptum pertinet; Ne sit tibi Deus alius coram me.  
 Deut. 5, 7.

g Rom. 1, 23. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &c. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.

Actorum 17, 29. Genus ergo cum finis Dei, non debemus excusimares, auro aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum esse simile.

Apoc. 9, 20. Neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent Demonia, & simulachra aurea & argentea, & area, & lapidea; & lignea, que neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

Exod. 34, 17. Deos constatiles non facies tibi.

Deut. 5, 8. Non facies tibi sculptile, nec ullam similitudinem, quæ in calis sursum & quæ in terris deorsum, & quæ in aquis sub terra, non incurrabis te eis, neque servies eis, quia ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes.

Deut. 4, 12. Et locutus est Dominus ad vos de medio ignis; vocem verborum, vos audiebatis, & imaginem vos non videbatis, præter vocem, vers. 15, 16. Et cavete valde animabus vestris, quia non vidistis ullam imaginem in die, qua locutus est Dominus ad vos in Choreb de medio ignis, ne forte corrumpamini, & faciatis vobis sculptile, imaginem ullius similitudinis; formam masculi aut femine; formam ullius reptentis in terra; formam ullius piscis, qui est in aquis sub terra.

Mich. 5, 12. Et succidere faciam sculptilia tua & statuas tuas de medio tui, non incurrabis te ultra operi manuum tuarum.

### Et in Jesum Christum.

**C**Redimus & in a Jesum cui Christi, id est, uncti illius Dei Patribus olim promissi, nomen ex rei ipsius veritate tributum est; quippe, qui Spiritu S. & virtute in summum Prophetam, Evangelii in terris authorem & assertorem, & in summum Sacerdotem, & in summum cœlestemque omnium Regem à Deo unctus fuit. Igitur & in Jesum Christum credimus, ipso met dicente discipulis suis: Cre-  
 ditis in Deum, & in me credite. Nam sicut fide in Deum unum ac verum à profanis gentibus discernimur; sic fide in Jesum Christum, etiam ab ipsis Judæis, antiquo Dei populo, & à Machometanis Christianæ fidei corruptoribus discernimur; quorum utrique negant in ullum alium, præter unum Deum cœli & terræ creatorem, credi oportere. Nos vero, quia & in Jesum Christum credimus, à fide in Christum & Christiani nuncupamur.

### Scripturæ Testimonia.

Gal. 2, 15. Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores: Scientes autem, quod non justificatus

justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi; & nos in Christum Iesum credidimus, ut justificemur ex fide Christi, &c.

Cap. 3, 22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, que revelanda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christum, ut ex fide justificemur; et ubi venit fides, iam non sumus sub pedagogo. Omnes enim filii Dei estis, per fidem in Christo Iesu.

Philipp. 3, 9. *Vi inveniar in illo.* (id est Christo) non habens meam iustitiam, que ex lege est, sed illam, que est ex fide Christi, que ex Deo est, iustitia in fide.

I Ioan. 3, 23. *Et hoc est mandatum ejus, (id est Dei) ut credamus nomini filii eius Iesu Christi.*

Huc pertinent omnia Novi Fæderis dicta, quibus fides in Christum, Iudæis in Deum alioquin jam credentibus, si salvi esse velint, inculcatur.

## Filium ejus Unigenitum.

**C**Redimus autem & in Iesum Christum idem, a quia unius Dei cæli & terræ creatoris h est filius; isque non vulgaris aliquis, quales sunt c Angeli, & d hominum non pauci, sed e unigenitus. Nam & solus f divina virtute in utero castissimæ virginis est genitus, & g solus adhuc ex mortuis ad vitam immortalẽ a Deo resuscitatus est; & tum h amore apud Deum, tum i similiter dine cum Deo & Spiritusque Sancti copia, tum l munere ac dignitate etiam in terris agens, inter omnes Dei filios m excellentissimus, planeque singularis: quam ob causam etiam n absoluto Filii Dei nomine designari solet; cæteris omnibus, Christi comparatione, de titulis istius jure cedentibus. Denique addito omnibus Dei filiis excellentior est, adeoque singularis, ut planè in statu & conditione unigeniti filij apud Patrem sit. Solus enim omnium paternorum honorum o hæres est.

### Scripturæ Testimonia.

a Ioan. III, 18. *Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit, iam judicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.*

Verf. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

i Ioan. v, 9. 10. II, 12. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo; qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hac vita in filio ejus est. Qui habet filium, habet vitam. Qui non habet filium Dei, vitam non habet. Hec scripsi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut scitis, quod vitam æternam habeatis; & ut credatis in nomen Filii Dei.*

b I Ioan. IV, 15. *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei vivi, Deus in eo manet, & ipse in eo.*

Cap. v. 7. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei?*

Et alibi passim.

Matth. 1, 20. *Hec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam uxorem tuam; Quod enim in ea genitum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.*

1 Cor. xv, 20. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis: primitia dormientium.*

Verf. 23. *Unusquisque in suo ordine: primitia Christus; deinde ii, qui sunt Christi, in adventu ipsius.*  
Matth. 3, 17. *Et ecce vox de caelis dicens; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, & cap. xvii. 5.*

Cap. xii, 18. *Ece puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea: ponam Spiritum meum super eum, &c.*

Ioan. 3, 35. *Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum.*

Ed. cap. v, 20. *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, que ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.*

Col. 1, 13. *vocatur Filius charitatis.*

Ioan. 17, 24. *Dilectus ante mundum conditum.*

Eph. 1, 6. *Dilectus absolute.*

Ioan. 1, 18. *Dicitur esse in sinu Patris.*

Ioh. v, 19. *Amen, Amen dico vobis, non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quicumque enim ille facit, haec & Filius similiter facit.*

Verf. 21. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic & filio dedit habere vitam in semetipso. Et potestatem dedit ei etiam iudicium facere, quia Filius hominis est.*

Philipp. 2, 6. *Christus in forma Dei, & aequalis Deo fuisse dicitur.*

Heb. 1, 3. *Splendor gloriae & figura substantiae Dei appellatur, portareque omnia verbo virtutis suae dicitur.*

Huc pertinent tot tantaque miracula, quae Christus absoluta potestate, & solo iussu suo patravit.

Ioan. 10, 35. 36. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphema, quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.*

Coloss. 1, 15. & seqq. *Qui est imago invisibilis Dei, primo genitus omnis creaturae. Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipso creati sunt. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso consistunt. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris sunt, sive quae in caelis sunt.*

Heb. 1, 4. *Prasuntior Angelis effectus.*

Coloss. 2, 10. *Caput omnis principatus & potestatis.*

Eph. 1, 22. *Caput super omnia Ecclesiae.*

Denique cum Christus ille Dei esse dicitur, omnibus Dei filijs dignitate longissime antefertur.

m Huc

*n* Huc pertinent Scripturæ loca, in quibus Christus Filius Dei, cum articulo excellentiam & singularitatem significante appellatur, quæ passim occurrunt: itemque ea, in quibus Christus de Deo, & tanquam de proprio & peculiariter suo Patre loquitur; quoties scilicet Deum intelligens, absolute Patrem nominat; quorum locorum apud Ioannem sunt non pauci. Unde & Iudæi occasione calumniandi Christi, eique blasphemiam obijciendi arripiebant, quasi se hominem esse negaret, & divinam aliquam naturam sibi tribueret: vel saltem majus quidpiam & divinius, quam quod homini convenire possit, de se diceret; nimirum intelligere volebant veras & evidentes istius singularissimæ filiationis causas. Ioan. 5, 15. 10, 33. 19, 7.

*n* Hoc fit passim in Scriptura Sacra: Inter multa Hebr. 1, 4. *Tantò præstantior Angelis effectus, quantò excellentius præ illis nomen hereditavit; Nempe, absolutum Filii Dei nomen.* vers. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.*

*o* Matth. 21, 38. *Agri cola autem videntes Filium, dixerunt inter se: Hic est hæres, venite occidamus eum.*

Ioan. 16, 15. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.*

Cap. 17, 10. *Et mea omnia tua sunt, dicit Christus ad Patrem, & tua, mea sunt, & clarificatus sum in eis.*

1 Cor. xv, 27. *Omnia subiecit sub pedibus ejus. Quum autem dicat: Omnia sunt subiecta ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.*

Hebr. 1, 2. *Quem (scilicet Filium) constituit Deus heredem universorum.*

## Dominum nostrum.

**S**icut autem ob tantam tamque singularem dignitatem Iesus Christus, Dei respectu, Dei Filius est unigenitus; sic ob eandem, nostri respectu, a nostrum omnium est Dominus. Filius enim unigenitus, omnium & rerum & personarum, quæ pertinent ad paternam domum, & hæres est & Dominus. Aded nimiram Dei Filius est Iesus Christus, ut reliqui omnes Dei Filii cum ipso comparati, sive Angeli sint, sive homines, non tam Dei sint filii, quam Iesu Christi & servi. Hinc passim in Scriptis Apostolicis Iesus Christus à Deo distinctus, Domini nostri titulo insignitur. Imo quia Dominus Dominantium à Deo est factus, propterea & Dominus absolute, seu per excellentiam in novo federe vocatur, & unus noster Dominus esse dicitur. Unde constat, quàm & nos merito in ipsum credamus, & quàm Deo adferentur, frustra que in ipsum credant, qui in Iesum Christum credere nolunt: cum in hoc ipsum ad tantam à Deo majestatem sit erectus, ut non aliter, quàm in ejus nomine perque fidem in ipsum salutem adipiscamur sempiternam. Et hæc verò Christi cum Deo conjunctione apparet, fidem in Christum, ad Deum, tanquam ad ultimum scopum referri, & in illo conquiescere.

Scripturae Testimonia.

a **Matth. xxviii, 18.** Data est mihi omnis (inquit Christus) potestas in caelo & in terra.

**Actor. ii, 36.** Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.

**Cap. x, 36.** Verbum misit Deus filius Israel, annuncians pacem per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus.

**Rom. x, 9.** Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.

**I Cor. xii, 3.** Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu Sancto.

**Phil. ii, 9.** Propter quod & Deus exaltavit eum & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus (est) Iesus Christus, in gloria Dei Patris.

**Daniel vii, 13, 14.** Aspiciebam in visione noctis & ecce cum nubibus caeli, quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & Regnum, & omnes populi, tribus & linguae ipsi servient: potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.

b **Heb. i, 13, 14.** Ad quem Angelorum dixit aliquando; sede a dextris meis, &c. Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis.

**Vers. 6.** Et adorent eum omnes Angeli Dei.

**I. Pet. iii, 12.** Qui (i. e. Christus) est ad dextram Dei, profectus in caelum, subjectis ipsi Angelis, & potestatibus & virtutibus.

**Apocal. i, 5.** Princeps Regum terrae.

**Cap. xix, 16.** Rex Regum & Dominus dominantium.

**I. Cor. vii, 22.** Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio emptus est. Et passim Christiani vocantur Christi servi.

c Hujus rei documentum sunt inter plurima loca salutationes Apostolicae.

d **I. Cor. viii, 6.** Nobis unus est Deus, Pater ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

**Cap. xii, 4, 5, 6.** Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

**Eph. iv, 4, 5, 6.** Unum corpus & unus Spiritus: Sicut & vocati estis in una spe vocacionis vestrae: Unus Dominus, una fides, unum baptisma: Unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

e **Act. iv, 11, 12.** Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli: Et non est in ullo alio salus. Neque enim nomen est aliud sub caelo, quod datum sit inter homines, in quo oportet nos servari. Vide & **I. Pet. ii, 4.** & seqq.

f Ioan. xii, 44. *Qui credit in me (clamavit ipse Christus) non credit in me, sed in eum, qui misit me.*

Vers. 49. *Ego ex me ipso non sum locutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio, quia mandatum ejus vita aeterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.*

i. Pet. i, 21. *Petrus, credere nos ait, per Christum in Deum, qui suscitavit eum à mortuis & dedit ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deum.*

## Qui conceptus est ex Spiritu Sancto.

**N**on satis est de fide in Iesum Christum agentibus compendio, quanta sit Iesu Christi dignitas, dixisse: sed juvat uberiorem & magis evolutam de ipso confessionem edere: initioque ab admirabili ejus ortu factò, ostendere, & quomodo ortus sit, & quis secundum naturam suam fuerit, & quibus veluti gradibus ad tam sublimem majestatem ascenderit, qua nulla sublimior cuiquam à Deo potest obtingere. Igitur cum in cuiusque ortu, & Pater generans, & mater factum concipiens ac pariens spectetur; Iesus Christus nullum hominem proprie genitorem habuit, sed solius Spiritus Sancti divinæque virtutis operatione in purissimæ virginis utero conceptus, simulque divino Spiritu & virtute repletus, atque ita porro admirabili & omnem naturæ modum excedente ratione à Deo genitus est. Sic igitur a quatenus Spiritu Sancto & virtute altissimi genitus & sanctificatus est, Filius est Dei, isque unigenitus: (cum cæteri omnes, quos alioquin Scriptura filios Dei appellat, vel creati sint Filii Dei, ut Angeli, vel adoptati, ut Sancti homines, vel sola communicatione maximæ potestatis tales sint facti, ut summi magistratus.) Quatenus verò in utero virginis est conceptus, b verus est homo: quatenus denique ex virgine, non aliter nec alii quam & ipsa gentis Davidicæ viro prius desponsata, genitus fuit, Davidis est, secundum prophetarum oracula, filius. Hæc verò generatio Christi, tanti amoris Divini, tantorumque ejus effectuum, quibus Christus omnes Dei filios longissimè superavit, primum in ipso jam nato est fundamentum.

### Scripturæ Testimonia.

\* Luc. i, 35. *Dicit Angelus Mariæ, Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ioan. x, 36. Rom. i, 4.

b Rom. v, 15. *Multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Iesæ Christi in multos abundavit.*

i. Cor. xv, 21. *Quandoquidem per hominem mors; & per hominem resurrectio mortuorum.*

i. Tim.



I. Tim. II, 5. *Unus est Deus, unus & mediato Dei, & hominum homo Christus Iesus.*  
*Filius hominis appellatur Christus apud Evangelistas plus quam octuagies.*  
*Virum eum nominat Ioannes Baptista Ioan. I, 30. Et Petrus Act. I, 22.*  
*Et Paulus Act. XVII, 31.*

Natus ex Maria Virgine.

**M**ater, ex qua natus est Iesus Christus, Maria fuit, Virgo sanctissima: viro itidem optimo & sanctissimo Iosepho ex genere Davidis, desponsata: ad tantam dignitatem, ut mater Iesu Christi esset (quâ merito inter omnes mulieres benedicta, & ab omnibus generationibus beata fertur) ex singulari Dei gratia delecta: quam non opes, non honores, sed summa animi modestia, vitæque Sanctitas, pauperem quamvis & despectæ fortis, Deo reddidit tantopere commendatam. Non solum autem purissima virgo fuit Maria, cum Iesum Christum ex Spiritu Sancto conciperet: sed etiam cum eundem pareret ac peperisset, clarissimè id contestante Sancto Matthæi Evangelio.

Luc. I, 26.  
 vers. 28.  
 vers. 30.  
 v. 42, 48.  
 vers. 52.

Matth. I, 23.

Passus sub Pontio Pilato.

**I**dem porro Iesus Christus Evangelicam & gratiam & veritatem (quarum illa *b* vitæ æternæ & *c* peccatorum omnium remissionis, & Spiritus S. per fidem sine legis operibus, à quolibet homine sine ullo discrimine obtinendi, clarissimo promisso; *d* hæc solius fidei & charitatis & vitæ spiritualis, sine ullis legis ritibus præcepto continetur) annuncians, & *e* divinissima ratione, quæ filium Dei unigenitum decebat, confirmans, tandem, Romanum imperium obtinente Tiberio, & Pontio Pilato Iudææ Præside, capiendum sese, ac vincendum adversariis, Iudæorum senioribus; ultro præbuit; à quibus raptatus colaphis cæsus, verberatus, illusus, consputus, & indignissimis modis ad libitum eorum habitus, *f* quoddam filium hominis, id est, sese, à dextris divinæ majestatis sessurum, & in nubibus cœli venturum esse dixisset, blasphemiam damnatus, & morte dignus pronunciatus est. Inde ad Pilatum ab iisdem deductus, & quoddam se Christum illum Dei seu Regem Iudæis promissum esse diceret, rebellionis adversus Cæsarem immeritò est accusatus. Quorum criminationibus & instinctu, quamvis Præsides, & illorum invidiam, & Christi innocentiam perspiceret, res eò deducta est, ut non solum in ludibrium arroganti sibi Regni, amictus purpura, coronam ex spinis consertam, capiti suo impressam gestare cogeretur, & in speciem venerationis, Regibus debitæ, variis contumelias afficeretur; sed etiam flagris concisus ac laceratus, miserabile spectaculum verissimi & afflictiissimi hominis populo præberet.

a Ioã. I, 27.  
 b Ioh. I, 40.  
 Ix. Tim. I, 10.  
 c Act. XII, 1.  
 Rom. II, 13.  
 21, 22.  
 d Ioan. III, 17.  
 s. xv. 12. 17.  
 Act. xv, 9.  
 10. 11.  
 Rom. XI, 1.  
 Gal. v, 6. v1.  
 15.  
 Eph II, 16.  
 15.  
 e Ioh. I, 14.  
 xv, 24. XXI, vers ult.  
 Hebr. I, 3.  
 Ioan. XVII, 4, 12.  
 Matt. xxv, 50.  
 Luc. XXI, 63.

Luc. XXI, 1, 2, 3. Luc. XXII, 14, 15, 22. Ioan. XVII, 38. Marc. xv, 10. Ioan. XIX, 1. Ioan. XI, 5.

## Scriptura Testimonia.

f Matth. xxvi, 63 & seqq. Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Iesus; tu dixisti: verumtamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit; quid adhuc egemus tibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt; reus est mortis.

## Et crucifixus.

Joan. xix, 6. **N**Equè tamen, ut speraverat Pilatus, odium & invidia Iudæorum hæcenus expleri potuit; sed præsidem, varios modos Christi liberandi quaerentem, eò perpulerunt, ut quem insontem esse cognoverat, ad servile crucis supplicium damnarit. Ita Christus, cruce sibi imposita, extra urbem deductus, medius inter duos latrones cruci affixus fuit: Et in sublimi pendens, oculos animosque inimicorum suorum acerbissima in se probra jacentium, cruciatibus suis, & indignissima sorte explebat.

## Mortuus.

f Matth. 27, 50. **N**Equè cruciatus tantùm pertulit, sed etiam in cruce pendens, eò adactus est ut Spiritum suum Deo, Patri suo, commendans verissima a morte expiravit. Hæc vero omnia tam dira & atrociam, innocentissimus, & omnis peccati expers, b ex Patris sui mandato & c secundùm Prophetarum oracula, d Ioan. x, ultro pro nobis peccatoribus subiit, e ut scil. nobis, acerbissimis suis doloribus & morte, vitam & beatitatem pareret sempiternam: Non solum quatenus de Evangelica veritate per hæc e testatus est, eamque insigniter confirmavit: sed etiam quatenus novum fœdus, f cuius mediator erat, suo sanguine g sanxit, & h vetus abolevit; sicque nobis vitæ æternæ & peccatorum remissionis, novo fœdere comprehensæ jus dedit; & sicut Deus, ita volentem, ad servandas fœderis promissiones, sic & k homines ad tam sacram fœdus ineundum, sancteque observandum, penitus obstrinxit: simulque l ad pacem & concordiam, ex hoc fœdere pendentem, omnia quæ sunt in celis, & quæ sunt in terris, adduxit: m quatenus sanguinem suum fundens & moriens, victima piacularis pro peccatis nostris fuit; n & sic porro seipsum, à mortuis resuscitatus, in cælestibus adytis pro peccatis obtulit, & pro nobis

nobis tanquam summus noster Pontifex perpetuo apparet & interpellat; ut ita omnibus, etiam maximis peccatoribus per fidem in ipsum aditus ad sempiternam salutem pateat, o eumque haud dubie patere cunctis constat: p quatenus dum nos tam sacro sanguine à peccatis expiatis esse videmus, ut peccatis iterum contaminari nefas esse ducamus, facit: q quatenus mortem eamque atrocem subiit, ut à mortuis resurgens documentum nobis daret, non tantum patere ex morte ad vitam, nulli amplius morti obnoxiam, exitum; sed nullam esse certiore immortalitatis consequendâ viam, quam propter veritatis Christianæ confessionem toleratum supplicium; r istaque ratione Diabolum & mundum mortis terrore Dei cultoribus gravem, planè devicit: s quatenus omnium, quæ nobis accidere possunt, malorum sensu exercitus, miseris succurrere didicit: t quatenus per afflictiones suas & mortem, ipsemet omnem servandî nos potestatem est adeptus: u quatenus immensum Dei erga nos amorem, quamvis adhuc peccatores & Dei inimici essemus, in sua morte nobis exhibet, & sic nos Deo reconciliat, atque ad tantum tantumque ineffabilem illius amorem amplectendum & in posterum omni obedientia fovendum ac retinendum adducit: x simulque etiam ad se ipsum Rex & Dominus noster effectus, tanto nostri amore & tanto pro salute nostra dato pretio, tantoque beneficio nos pertraxit, & ex servitute peccati, legis, vanæ conversationis, ex præsentî sæculo malo redemptos & ereptos, sibi in populum peculiarem bonorum operum ardentem sectatorem adseruit ac mancipavit: y quatenus, ne nullas acerbitates Christianæ professionis causa detrectemus, adeo nos suis perpeffionibus excitavit, ut maximo nobis honori ducamus, si socii ac participes siamus crucis Christi: z quatenus summæ erga Deum obedientiæ, quæ in rebus summè arduis, ipso volente, obeundis cernitur; speciatim verò earum virtutum, quæ Christianis maximè sunt propria, expressam effigiem in suis perpeffionibus ac morte nobis exhibuit; charitatis nimirum summæ, quæ animam etiam pro aliorum salute jubet exponere; aa humilitatis & modestiæ summæ, quæ in maximi honoris & maxime ignomiæ, cum opus est, contemptu ostenditur; patientiæ summæ; quæ nullis doloribus frangitur; mansuetudinis denique summæ, quæ nullis injuriis exasperatur: quæ usque adeo in Christo enituit, ut etiam in crucem actus, pro suis interfectoibus preces ante omnia interposuerit. Qui omnes mortis Christi fines & effectus, ad comparandam nobis æternam salutem unicè spectant: bb ut propterea non tantum crucem Christi (quamvis ea ad Christi Christianorumque ignominiam pertinere videatur) lubentes confiteri; sed etiam non alia de re magis, quam de illa gloriari debeamus.

x 2 Cor. 5.  
14, 15.  
Gal. 2, 20.  
Eph. 5, 25.  
26, 27.  
1 Cor. 7, 23.  
Mat. 20, 28.  
1 Tim. 2, 6.  
1 Pet. 1, 18.  
19.  
Tit. 2, 14.  
Col. 2, 14.  
20.  
Gal. 1, 4.  
Ioh. 12, 32.  
x1, 52.  
Rom. 6, 6.  
11, 12, 13.  
Gal. 5, 24.  
vi, 14.  
Phil. 2, 8.  
Ioan. xiv, 30, 31.  
Ioan. xv, 13.  
1 Ioan. 3, 16.  
Hebr. 12, 2.  
Eph. 5, 3, 7.  
1 Pet. 2, 21.  
& seqq.  
Luc. 23, 34.

*Scripturæ Testimonia.*

*m* Esa. IIII, 10. Si posuerit (nempe Christus) peccatum (id est, victimam pro peccato) animam suam, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Domini per manum ejus prosperabitur.

Idem docent omnia Scripturę loca, in quibus sanguini Christi peccatorum nostrorum expiatio & remissio tribuitur, Christique sanguis cum vicissimis expiatoriis antiqui fęderis confertur; vel Christus per sanguinem suum in coeleste tabernaculum ad expianda peccata nostra ingressus esse dicitur. Qualia sunt Matth. xxvi, 28. Rom. iii, 25; 5, 9. Eph. i, 7. Hebr. ix, 15, 22. x, 29. xiii, 12. i. Ioan. i, 7. i. Pet. ii, 24.

<sup>n</sup> Hebr. ix, 12. Neque per sanguinem hircorum & vitularum, sed per proprium sanguinem; introiit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Sic vers. 24. & seqq. Cap. vii, 25 & seqq.

<sup>o</sup> Hebr. ix, 13, 14. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viventi?

Rom. v, 9. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.

Cap. viii, 32. & seqq. Qui (scilicet Deus) proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

<sup>p</sup> Hebr. x, 14. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Vers. 26. & seqq. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam noiviam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quedam expectatio iudicii, & ignis emulatio, que consumtura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quando magis puratis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pallium duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratie contumeliam fecerit?

i. Pet. ii, 24. Qui peccata nostra ipse tulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iusticie vivamus: cujus livore sanati sumus, &c.

i. Pet. i, 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

Hebr. x, 19, 20. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem, per velamen, id est, carnem suam.

r Hebr. 2, 14. Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum, Ioannis xvi, 33.

s Hebr. ii, 17, 18. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi: in eo enim, in quo passus est ipse tentatus, potens est iis, qui tentantur, auxiliari.

Cap. iv, 14. Habentes ergo Pontificem magnam, qui penetravit celos, Iesum filium Dei, tenemus confessionem.

Verf. 15. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Cap. 5, 2. Qui condolere possit iis, qui ignorant & errant.

Verf. 7, & seqq. Qui in diebus carnis sua preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est à metu. Et quamvis esset filius, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa Salutis aeternæ, appellatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.

Esai. LIII, II. Propter laborem animæ suæ videbit, (nempe semen) saturabitur; in scientia sua justificabit justus servus meus multos, &c. Ideo partem dabo ei in multis, & cum fortibus dividet spolia, pro eo, quod in mortem effudit animam suam, & cum prævaricatoribus numeratus est.

Luc. XXIV, 26. Nomen hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Rom. XIV, 9. Is hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, ut & mortuis & vivis dominetur.

Phil. II, 8 & 9. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit eum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen.

Hebr. XII, 2. Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra throni Dei consedit.

Ioan. III, 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Rom. v, 8. Commendat autem Deus charitatem suam erga nos: quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est.

Gal. II, 21. Non abjicio gratiam Dei: si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

Rom. v, 10. Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius.

I. Cor. v, 20, 21. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum enim qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Col. I, 21, 22. Et vos tum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.

Ioan. XII, 26. xv, 20. Phil. III, 10. II. Tim. II, 11, 12. I. Pet. IV, 13, 14.

aa Phil. II, 5, & seqq. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: i. Quis cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se equalem Deo, sed semetipsum exinavit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Matth. xx, 27, 28. Qui voluerit primus inter vos esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

bb. I. Cor.

bb I. Cor. I, 17. Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare; non in sapientia sermonis, ut non evacuetur crux Christi. Sermo enim crucis iis, qui pereunt, stultitia est: iis vero, qui servantur, virtus Dei est.

Verf. 23. Nos autem predicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stulticiam; ipsis vero vocatis Iudæis & gentibus, Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam.

Cap. II, 2. Non enim iudicari me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Gal. VI, 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

## Et sepultus.

Matt. 27, 59.  
60.  
Luc. 23, 53.  
Ioan. 19, 40.  
I. Cor. 15, 4.

**N**Equè mortuus tantùm fuit Iesus Christus, sed etiam, ut eum verè mortuum fuisse constaret, neve cuiusquam eorum, quæ mortalibus accidere solent, esset expers, corpus illius exanimum, iustis ex more Iudæorum ei perlolutis, in sepulchro fuit conditum.

## Descendit in infernum.

Apfal. 16, 1.  
49, 16.  
Ol. 13, 14.  
Mat. 12, 18.  
Acto. 2, 27, 31.  
I. Cor. 15, 55.  
Apoc. I, 12.  
20, 13, 14.  
Ezech. 32.  
14, 16, 18.  
32, 24, 25.  
26, 29, 32.  
Psal. 88, 13.  
115, 18.

**N**Equè minùs, quàm cæteri omnes, qui verè moriuntur, Christus descendit in *a* infernum, sive *b* inferiores partes terræ; fuitque, ut ipse eventurum sibi dixerat, in *c* corde terræ. *d* Scriptura enim eos, qui moriuntur, eorumque animas per mortem à corpore separatas, in infernum, seu terram infimam, vel inferiorem, (terræ viventium oppositam,) in terram oblivionis, in silentium descendere dicit: non semper damnationem & supplicium, ut nunc inferni vox communiter accipitur, sed in genere statum eorum qui mortui sunt, hac populari loquendi ratione, talem esse significans, ut nulla humana ope, nullis naturæ viribus ad superos, id est, ad vitam, & vitæ actiones redire, præterquam sola insuperabili Dei potentia valeant. Nempe etiam in infernum usque Christum sese demittere oportuit, *e* ne quisquam piorum, & mortis, & sepulchri, & inferni fauces ac voraginem exhorresceret.

## Scriptura Testimonia.

*a* Act. II, 27. Petrus Psalmi XVI verba, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, ad Christum refert. Et vers. 31. addit. Providens (nempe David) locutus est de resurrectione Christi, quia

quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

*b* Eph. IV, 9. Quod autem ascendit (nempe Christus) quid est, nisi quia descendit primo in inferiores partes terra? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia.

*c* Matth. XII, 20. Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus: Sic erit filius hominis in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus.

*e* Apocal. I, 17, 18. Dicit Christus Ioanni, Noli timere, ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni.

## Tertia die resurrexit à mortuis.

**Q**UAMVIS autem ad extremam hanc usque mortalium sortem pervenerit Iesus Christus, non tamen in hoc statu mansit, (in quo alioquin & nobis omnibus manendum fuisset;) Sed *b* quò regnum suum quam primum capesseret, & *c* salutis nostræ opus, quod inchoaverat, *d* tertia post obitum suum die, (cùm longius mortem ejus extendi nihil esset opus) divina *e* Patris sui potentia in vitam & ad superos *f* ita revocatus est, ne unquam ad mortem & inferos rediret: quòd cum primo omnium Iesu Christo contingerit, idque *g* eo fine, ut hinc cæteri suæ ad vitam æternam resurrectionis & exemplum & argumentum capere possint; propterea *h* primogenitus è mortuis, *i* & primitiæ eorum, qui obdormiverunt, factus est. Quandoquidem enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim in Adamo omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur; Quisque autem in suo ordine; primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi in ipsius adventu. Etiam si igitur Christus *k* ex infirmitate (humane scilicet naturæ) crucifixus fuerit; at vivit ex virtute Dei, meritoque etiam ob hanc causam *l* filius Dei, & à Deo genitus atque adeò non primogenitus tantum, sed etiam unigenitus, nullo adhuc præter ipsum ex morte ad vitam immortalem excitato agnoscitur.

*c* Rom. IV.  
*y*. ult.

*d* Mat. 28, 1.

2.

Mar. XVI, 1.

Luc. XXI, 27.

Ioan. XX, 1.

Act. X, 40.

1. Cor. 15, 4.

f. Act. 13, 34.

Rom. VI, 9.

g. 1. Cor. XV,

20.

Eph. I, 19.

Col. II, 12.

1. Pet. I, 3.

h. Col. I, 18.

Apoc. I, 5.

i. 1. Cor. 15,

20 & seqq.

k. 2. Cor. 13,

4.

l. 1. Pet. 3, 18.

## Scripturæ Testimonia.

*a* I. COR. XV. 14. Si Christus non resurrexit, inanis est ergo predicatio nostra, inanis est & fides vestra.

VERS. 17. Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc estis in peccatis vestris. Ergo qui & dormierunt in Christo, perierunt.

ROM. IV. 25. Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

*b* ROM. XIV. 9. In hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, ut & mortuis & vivis dominetur.

Act. v. 30. 31. Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno: Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam penitentiam Israël, & remissionem peccatorum.

Rom. I. 3. 4. Scribit Apostolus de Christo, quod sit factus ex semine David secundum carnem: definitus autem seu constitutus filius Dei in potentia, secundum Spiritum Sanctitatis ex resurrectione mortuorum.

Act. XIII. 22. Et nos vobis annunciamus eam, qua ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis eorum nobis, resuscitans Iesum.

e Luc. XXIII. 46. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Et hac dicens, exspiravit.

Hebr. v. 7. 8. Act. III. 13, 14, 15. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Iesum, quem vos tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, &c. Auctorem vero vite interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis.

Gal. I. 1. Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis.

Eph. I. 17 & seqq. Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloria, det vobis Spiritum Sapientia & revelationis, &c. ut sciatis que sit spes vocationis ejus, &c. & que sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus, secundum operationem virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus, &c.

l Act. XIII. 32, 33. Deus implevit promissionem, resuscitans Iesum: sicut & in Psal. II. scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Luc. xx. 35, 36. Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt uxores, neque ultra mori poterunt: Aequales enim Angelis sunt, & filii suus Dei, cum sint filii resurrectionis.

a Matth. 28,  
17.

Luc. 14, 31,  
36 & seqq.

Joan. 20, &  
21.

Act. I. 3, x,  
40, 41.

1 Cor. xv. 5,  
& seqq.

b Luc. 24,  
50 & seqq.

Act. I. 9,  
d Hebr. vi,  
19, 20. 1x,

11, 24.  
e Rom. x. 6,

f Rom. 8,  
38, 39.

## Ascendit in Cælum.

**P**orro in vitam revocatus, per dies quadraginta in terris versatus est, ut Discipulis suis a certissimam resurrectionis suæ fidem faceret, eosque instrueret; quo facto, b inspectantibus illis, in sublime vestus est, & c ille ipse, qui in infernum usque descenderat, supra omnes ascendit cælos, & d immortalitatis illud domicilium in quo Deus ipse habitat, ingressus est. Nempe hic e etiam nobis exemplo & argumento futurus, f neque profunditate inferni, neque altitudine cæli, g neque corporis nostri mortalis conditione, nos ab eodem illo æternæ vitæ domicilio posse arceri.

## Scriptura Testimonia.

c Eph. IV. 10. Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cælos, ut impleret



impleret omnia. Vide & Hebr. IV, 14 & VII, 26.

g I. Cor. xv, 47 & seqq. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de calo caelestis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis caelestis, tales & caelestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portabimus & imaginem caelestis. Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis Regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.

## Sedet in dextera DEi Patris omnipotentis.

A Scendit autem in cœlum Christus, non tantum, ut istic esset, & caelesti illa vita ipse pro se in æternum frueretur; sed ita ascendit, ut se ipsum tanquam summus sacerdos istic pro nobis offerens, à Deo Patre suo omnipotente ad a dexteram ipsius sedere iussus sit; b id est super omnes omnium & Angelorum & hominum Ordines ac dignitates imperium acceperit, eumque locum adeptus sit, quo nullus post Deum cogitari possit excelsior: eo viderelicet sine, ut coram Dei vultu semper apprensus, Ecclesiam suam divinissima & perfectissima ratione gubernet, illiusque salutem æternam procuret. Nempe ita caelesti Patri placuit, ut ille rerum omnium esset Dominus, & nostrum caput constitueretur, qui c nostrę fidei author, & d ejusdem nobiscum nature particeps, nosterque Pontifex, nostrę salutis amore ad mortem usque crucis & infernum sese demiserat. e Talem habemus Pontificem qui confedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis: Sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo. f Hujus verò tantę majestatis causa non minor Christo, quam ipsi Deo ab omnibus & Angelis & hominibus debetur cultus & adoratio: Ut jam ex istis omnibus, quam verè Iesus Christus Dei sit filius unigenitus, & nostrum omnium Dominus, quamque in illum non minus, quam in Deum ipsum credendum sit, omnibus appareat.

a Psal. cx, 1.  
Hebr. vi,  
19, 20.  
Rom. viii,  
34.  
Col. i, 1, 1.  
Hebr. 1, 3,  
13. viii, 1.  
x, 12. xi, 1, 2.  
c Hebr. xii,  
20.  
d Hebr. 11,  
14.  
e Hebr. 8,  
1, 20.

### Scripturę Testimoniũ.

b Eph. I, 17, 20, 21, 22, 23. Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloria, operationem potentie virtutis suę operatus est in Christo Iesu, suscitans ipsum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus, longe supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; Et omnia subiecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnia ipsi Ecclesię; quę est corpus ipsius & plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus implet.

I. Pet. III, 22. Christus est in dextera Dei: profectus in calum, subiectis ipsi Angelis & potestatibus & virtutibus.

f Ioan. v, 22, 23. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio; ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.

Vide & Phil. II, 9, 10, 11. Hebr. I, 6.

Apoc. v, 11, 12, 13. Et vidi & audiri vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: & omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiri dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria & potestas in secula seculorum.

## Unde venturus est.

**N**on ita verò in illa sua cælesti Regia ac throno, nostram salutem procurans, residet, ut nunquam inde redire in hunc mundum debeat. *a*. Redibit enim *b*. tempore à Deo constituto: Redibit verò non in eo statu, in quo olim venerat, humili & infirmo: sed qui tantum Regem ac Dominum deceat. *c*. Veniet enim in nubibus cæli, gloria Patris sui circumfulgens, *d*. omnibus Angelorum myriadibus stipatus, *e*. cum totius Angelici exercitus celestium, cum voce Archangeli & tubæ Dei clangore; *f*. videbitque eum omnis oculus, & qui ipsum confixerunt, & plangent super ipsum omnes tribus terræ.

*a* Ioan. 14, 3.  
*Act.* 1, 11.  
*b* *Aet.* 17, 31.  
*c* *Matt.* 24, 30, 31.  
*Marc.* 13, 26.  
*d* *Matt.* 25, 31.  
*e* *Theff.* 4, 16.  
*f* *Apoc.* 1, 7.

## Judicatum. viventes & mortuos.

**V**eniet autem eo fine, ut (*a*. qui maximus est Regni ejus effectus) judicium peragat de *b*. omnibus hominibus, non tantum viventibus *c*. sed etiam mortuis, ideo quippe rerum omnium potestatem accepit, ut *d*. Pater neminem judicet, sed omne iudicium filio dederit. Igitur *e*. sublimis in aère unicuique reddet *f*. secundum opera. Et justos quidem secum ducet ad cælestia gaudia; injustos verò una cum *g*. Diabolo & Angelis ejus in ignem conjiciet æternum.

*a* 1. Tim. 4, 1.  
*b* *Matt.* 25, 32.  
*Rom.* 14, 10.  
*2. Cor.* 5, 10.  
*c* *Matt.* 5, 32.  
*1. Theff.* 4, 17.  
*f* *Rom.* 2, 6.  
*Apoc.* 2, 23.  
*20, 12, 13.*  
*22, 12.*  
*g* *Matt.* 25, 41.

## Scripturæ Testimonia.

*c*. *Act.* x, 42. Et præcepit nobis predicare populo, (dicit Petrus) & testificari. *quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex vivorum ac mortuorum.* **II. Tim. IV, I.**

**I. Pet. IV, 5.**

*d* *Ioan.* v, 22, 23, 26, 27 & seqq. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semet ipso. Et potestatem dedit ei etiam iudicium facere; *quia*

quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.

Hæc etsi divinissima sunt, quæ de Iesu Christo confitetur fides hoc symbolo comprehensa, adeo ut iis nihil cogitari possit, vel Deo & Christo gloriosius, vel humano generi salutaris, nec quidquam in scriptis Apostolorum ad Christi divinitatem spectans reperiatur, quod ad hæc referri non possit; juvat tamen & alia in Scriptis Apostolicis de Iesu Christi divinitate prodita, distinctè confiteri.

Credimus igitur Iesum Christum ante mundi facta fundamenta à Deo præcognitum, & à Patre electum fuisse, eundemque multo magis ante Abrahamum ita fuisse, ut Abrahamus diem seu tempus illius venturi spiritu prophetico videre potuerit.

Credimus eundem gloriam istam, qua glorificatus est a Patre, priusquam mundus esset, apud Patrem habuisse.

Credimus nos d in ipso electos, e gratiamque in ipso ante mundi constitutionem & tempora secularia nobis datam esse.

Credimus in Prophetis Spiritum Christi fuisse, prænunciantem eas, quæ in Christo evenerunt: passiones, & quæ eas consecuta sunt glorias.

Credimus f filium hominis (etiam antequam Evangelium annunciret) in calum ascendisse, & ex calo descendisse, g in calo fuisse, h apud Deum fuisse, i Patrem vidisse, k à Patre exivisse, l à Patre missum in mundum venisse.

Credimus eundem Iesum m Dei verbum divinæque mentis immediatum & perfectissimum interpretem, divinissima virtute & potestate omnia, quæ velit, perficendi præditum esse; omnia divinæ voluntatis arcana nobis n enarrasse; o in principio, quod Ioannes intellexit fuisse, p Deum tunc etiam in terris ageret, fuisse, q Deum in secula benedictum esse; r Omnia, de quibus Ioannes loquitur per ipsum facta esse, & sine ipso nihil esse factum, quod factum est; s in ipso ventum fuisse; t ipsum veram mundi lucem esse, u mundum per ipsum, in mundum venientem, & in mundo versantem factum esse, x eumque omnibus, qui in nomen ejus crederent, potestatem, ut filii Dei fierent, dedisse.

Credimus y verbum carnem fuisse, vel carnem (nempe, cum fieret) factum esse.

Credimus Iesum Christum, quamvis post Ioannem Baptistam venisset ante Ioannem tamen, maximo loci & dignitatis intervallo factum esse; aa Ioannem priorem fuisse; bb cum Patre unum esse; cc Patrem in ipso, & ipsum in Patre fuisse; dd qui ipsum videat, Patrem videre; ee imaginem Dei invisibilis esse; secundum carnem filium Davidis esse; at ff secundum spiritum Sanctitatis Filium Dei; gg Dominumque Davidis esse; hh in forma Dei fuisse; neque rapinam duxisse, quod esset equalis Deo, sed seipsum exinanivisse, forma servi accepta, in similitudine hominum factum fuisse; & figura inventum fuisse ut hominem, seipsum humiliasse, dum fieret obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Credimus eundem ii primogenitum esse omnis ab Apostolo celebratæ creature; quod in ipso creata sint omnia, quæ in calis & quæ in terris, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum & in ipso.

ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso consistunt; & ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut esset in omnibus ipse primatum tenens. Quoniam in ipso, complacuit omnem plenitudinem inhabitare.

kk Col. 1, 9.  
ll Hebr. 1, 2.  
mm 7, 3.

Credimus in Iesu Christo kk habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter. Credimus per ipsum omnium heredem constitutum, ll secula esse facta, eundemque cum mm esset splendor gloria, & character substantie Dei, portaretque omnia verbo virtutis sue, per seipsum purgatione facta peccatorum nostrorum, consedisit ad dexteram maiestatis in excelsis: in tanto præstantiorem Angelis effectum, quanto excellentius præ illis hereditavit nomen.

nn 7, 4.

oo Apoc. 1,  
11, 17, 18.  
pp Apoc. 3,  
14.

Credimus Iesum Christum esse oo Alpha & Omega, primum & ultimum, pp principium creaturæ Dei.

Hæc omnia, & si quæ sunt alia divinitatis elogia, Iesu Christo in Sacra Scriptura tributa, nos adeo de illo credimus & confitemur, ut qui ullius eorum Iesum Christum, ex Spiritu Sancto conceptum, & ex virgine Maria natum verum hominem, aut indignum, aut incapacem esse existimant, istos non exiguæ adversus Iesum Christum injuriæ reos esse ducamus.

a Luc. 1, 2, 26.  
Ioan. 1, 4, 6.  
1. Cor. 2, 10.  
b Ioan. 15,  
6.

## Credo in Spiritum Sanctum.

Act. 1, 32.  
c Matth. 28,  
19.

e Luc. 24, 49  
Ioan. 15, 26.  
f Ioan. 20, 22.  
g 1. Cor. 2,  
10.

i Ioan. 16, 13.  
14, 26.  
k i, Per. 1,  
12.

l Matth. 12,  
31, 32.  
m Ioan. 7,  
39, 16, 7.

n Act. 2, 33.  
o Ioan. 14, 18.  
18, 14, 15.  
\* Mat. x, 20.

p Rom. 8,  
15, 16.  
q 1. Cor. 12,  
7, 8, 9, 10, 11.

r Luc. 24, 49.  
s Rom. 8, 16.  
t 1. Cor. 12,  
7, 8, 9, 10, 11.

u Luc. 24, 49.  
v Act. 2, 33.  
w Act. 2, 38, 39, 40, 44.

x Act. x, 38.  
y Luc. 4, 49.  
z 2. Cor. 1, 22.  
1. Ioan. 2, 20, 27.

aa Ioan. 14, 15, 16, 21.  
bb Eph. 4, 30.  
cc Hebr. 6, 4, 10, 29.

Credimus & in Spiritum Sanctum, quippe veritatis Evangelicæ cum Patre & Filio a Doctorem & Magistrum, & b testem; propterea & c in nomen illius, sicut in Patris & Filii, tincti, initiatique sumus. Nam sicut Pater misit Filium: sic Filius d in cælum profectus, e sui loco misit Spiritum Sanctum, f divinum illum afflatum, qui à Patre procedit, g quique profunda Dei scrutatur, & quo h perfusi & imbuti Sancti Apostoli, in omnem deducti sunt veritatem, (quippe qui non i loquatur à semetipso, sed quæcunque audit loquatur; j eandemque veritatem Christi nomine k prædicarunt; ut ita qui illorum prædicationi non credant, in Spiritum Sanctum non credant: contra, qui eorum prædicationi & doctrinæ credunt, non in ipsos, sed in Spiritum Sanctum, cujus instinctu loquuti sunt, credere dici debeant; l quem divinissimis suis operibus conspicuum, contumelioso verbo m lædere, nullam habet ut ignorantie prætensionem; sic neque in hoc seculo, neque in futuro remissionem. Qui Spiritus S. etiam Ecclesiæ n ex Christi munere o semper ad est, tanquam Paracletus \*, qui loquitur pro nobis, o qui missus est in corda nostra clamans Abba Pater, quique testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filii Dei: & p Rector, & q Doctor, & r adjutor & advocatus, qui intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus: & s Spiritualium donorum in omnibus effector ac distributor; t Dei promissio, u Dei donum quo perfundimur & imbuimur, x Dei unctio; y Dei virtus, qua replemur, z futuræ hereditatis arrhabo & signum in diem redemptionis, quam diu scilicet Ecclesia sese à Spiritu S. duci regique patitur.

aa Ioan. 14, 15, 16, 21. Eph. 4, 30. Hebr. 6, 4, 10, 29.

Scripturae Testimonia.

d Ioan. VII, 37, 38, 39. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus S. quia Iesus nondum fuerat glorificatus.

Cap. XVI, 7. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut vadam. Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos.

Act. II, 32, 33. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus S. accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

h I. Cor. XII, 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus &c. & omnes unum Spiritum potavimus.

x Act. X, 44, 45. Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes donum Spiritus Sancti effusum est, &c. Tunc respondit Petrus, nunquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos. Vide Tit. III, 6.

Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Credimus Christianos a Ecclesiam, id est, congregationem visibilem constitutuere debere, eamque sanctam, nempe non civilem, sed ad laudes Deo & Christo dicendas, precesque fundendas, ad verbum Dei praedicandum & audiendum, ad mutuas commonefactiones adhibendas, ad refractarios à Sancta communione arcendos, & alios in Ecclesiae gremium suscipiendos, ad mutuam Christianorum inter sese considerationem, ad charitatis per bona opera mutuaeque officia provocationem, omnemque aliam veritatis & pietatis Christianae propagationem institutam, nec seculi moribus & erroribus inquinatam; sed omni genere sanctitatis & veritatis exornatam.

Credimus eandem Congregationem debere esse Catholicam seu Universalem, id est, non uni alicui populo adstrictam, ut fuit Iudaica, sed omnibus populis communem: nec doctrina & fide variam, sed omnium Ecclesiarum, omni tempore, initio ab Apostolis factò unam & eandem esse debere doctrinam & fidem, istam nempe, quae symbolo hoc comprehensa est; ut qui hanc retineat, verè sit Catholicus, qui verò contrarii aut alieni quippiam admisceat, hactenus Catholicus esse non possit. Itaque cum Sanctam, vel in Sanctam Ecclesiam Catholicam credere nos dicimus, profiteamur, nos sine omni & hominum & temporum & locorum discrimine, illam Ecclesiam pro vera agnoscere, quae sanctis moribus dedita, doctrinae ab ipsis Apostolis traditae, semperque à Christianis receptae (qualis hoc symbolo continetur) repudiatis aliis omnibus post Apostolorum tempora ab hominibus introductis acquiescit.

b Eph. 3, 21.  
c I. Cor. 14,  
4; 5, 12, 19,  
23, 24, 29,  
31.  
d I. Thess. 5,  
14.  
Heb. 10, 25.  
e Matt. 18,  
17.  
I. Cor. 5, 4.  
f Matt. 18,  
18.  
g Hebr. 10,  
24.  
h Eph. 5, 7.

## Scriptura Testimonia.

*a* Hoc docent omnia fere Novi Testamenti loca, in quibus Ecclesiae Christi fit mentio: idemque ipsa Christianae religionis ratio, quae charitate mutua, & conjunctione Christianorum continetur, tum ejusdem conservatio ac propagatio requirit. Ecclesia enim, teste Paulo **1. Tim. 3, 15**, est *Columna & firmamentum veritatis*.

*i* Gal. **1, 8, 9**. Licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, & nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit, praeter id quod accepistis, anathema sit.

Hebr. **xiii, 8, 9**. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.

## Sanctorum Communionem.

**C**Redimus omnem hominem, qui salvus esse velit cum sanctis sanctorum rerum communionem habere debere. *a* Sancti autem Christiani sunt, quorum hic titulus est peculiaris, quippe qui non solum divinae veritatis notitia & sanctae vitae professione à ceteris hominibus, tanquam profanis, sunt segregati, sed etiam à Deo, *b* & ante mundum conditum, ad vitae aeternae adeptionem sunt praedestinati, *c* & quia Evangelio crediderunt, caelestis vocacionis participes sunt facti, quia verò ex Evangelii norma vitam componunt, *d* certiori ratione electi, *e* & denique Spiritu S. tanquam futurae haereditatis arrhabone in diem redemptionis sunt obsignati. Res porro sanctae, quarum communionem habere quisque debet, illae sunt, quae Christianam pietatem constituunt; nempe,

*f* *Fides* Christi doctrine, quae hac confessione comprehensa est; ut ei ex animo credens confidat, illiusque nomen invocet;

*Confessio*, ut eandem ore profiteatur;

*Penitentia*, ut malefacta sua agnoscat & corde contrito *h* confiteatur, iisque serio ac *k* tempestive renunciet;

*Baptismus aquae*, *l* ut per eum peccata abluat, veraque peccatorum poenitudine & emendandae vitae proposito animum sese purgasse testetur, *m* Patri, Filio & Spiritui Sancto; seu, ut compendio dicamus, Christo inicietur & authororetur, discipulique Christi nomen suscipiens Ecclesiae inseratur, *n* sese ad vitae puritatem, *o* ad mortis & resurrectionis Christi, in vitae novitate imitationem, *p* ad veterem hominem exuendum, & induendum novum sancte obstringat.

*q* *Luc. 13, 4 & seqq.*, Hebr. **12, 17**. *1. Marc. 16*. *Aët. 7, 38, 22, 16.* *in Matt. 24, 19*. Idem docet ipse baptismi ritus in Christi nomen susceptus, *in* Hoc ipsa ablutio indicat, *o* Hoc in aquam immersio & ex aqua emersio significat, *Rom. 6, 3, 4*. *Col. 2, 12*. *p Gal. 3, 27*.

q Hebr. 7,  
r 1. Cor. 11,  
10. xi. 26.  
s Tit. 2, 8.  
Hebr. xi. 13  
14.  
t Rom. 8, 9,  
u Gal. v. 22e

q Sacrorum conventuum frequentatio ;

r Memoria mortis Christi, per Sacri panis fractionem & calicis usum, celebratio.

Denique s perfecta charitas & sancta omnemque civilem honestatem ( quæ & ipsa Christiano summa cura observanda est, nempe, ut sese legibus & institutis publicis, & Magistratibus, qui omnes à Deo sunt, subiciat ) exsuperans vita conversatio ; quæ fidei & penitentię & Spiritus Sancti in Christianis habitantis est u fructus.

## Remissionem peccatorum.

**C** Redimus omnia a præterita quamvis gravissima peccata, omnesque etiam post agnitam veritatem intercurrentes humanę inbecillitatis lapsus, omnibus Sanctorum, quam diximus communionem habentibus, b per obedientiam, & c sanguinem, & d oblationem Iesu Christi, plenissime remitti; eosque hac ratione e non ex legis operibus, propriisque meritis, sed sine illis, ex Dei gratia justificari: Quæ quidem remissio peccatorum ac justificatio, fide & penitentia ex parte nostra comparatur; fidei vero & penitentię g fructibus conservatur.

b Rom. v,  
19.  
c 1. Ioan. 1,  
7.  
d Heb. x, 14.  
e Rom. 3, 24.

## Scripturæ Testimonia.

a 2. Pet. 1, 5, & seqq. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hac enim vobis cum adsint, & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; Hac enim facientes, non corrueis aliquando. Sic enim abundanter administrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi.

## Carnis resurrectionem.

**C** Redimus eos, quibus peccata sunt remissa, quamvis, quia caro sunt, non minus quam ceteri homines moriantur; à mortuis tamen, quamvis caro sint, a Christi potentia ultimo die resuscitatum iri; non verò, b ut Philosophis multique Judæorum placet, sola animorum à corpore separatorum c conservacione beatos fore. Si enim, c Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à

a Ioan. vi,  
39, 40.  
c Rom. 8, 11

D

mortuis

mortuis, habitat in nobis, is qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra propter in habitantem spiritum ejus in nobis. *d* *7.* 23. Ideo, redemptionem corporis nostri, expectamus, cum scilicet ex cælis venerit Servator noster, qui transformabit corpus nostrum humile, ut fiat conforme corpori ejus glorioso, secundum efficaciam, qua potest subicere sibi omnia. *f* Et si terrestris hujus domus nostre tabernaculum dissolutum fuerit, scimus nos ædificium ex Deo habituros, domum scilicet non manufactam æternam in cælis.

### Scripturæ Testimonia.

*b* 1. Cor. xv. 32. Si secundum hominem ad bestias pugnari Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

Matth. xxii. 31, 32. Christus non aliter Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi Deum esse post mortem docuit, quam quod eos ex morte resuscitaturus sit.

### Vitam æternam.

*a* 1. Cor. 15, 51, 52, 53. **C** Redimus in Christi adventu, omnes sanctos, & mortuos & vivos, mutatum ivi, in momento quemque, in istu oculi, ultima tuba clangente; & mortui quidem, ita mutabuntur, ut resurgant incorruptibiles, nec unquam amplius morituri; vivi autem, ut corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, seu *b* mortale absorbeat à vita: *c* vereque tunc implebitur ille sermo scriptus, *absorpta est mors in victoriam: ubi tuum est, ò mors, spiculum? ubi tua est, ò inferne, victoria?*

*d* 1. Thess. 4, 17. Quod ubi factum fuerit, *d* omnes simul rapientur in nubibus in aërem, in occursum Domino, à cujus consortio, ipsiusque beati *e* Dei conspectu, & *e* 1. Joan. 3, 2. gaudiis illis inenarrabilibus, nullis unquam seculis divellentur.

A M E N.

**I** Ta se res verissime habet; & hæc vera Christianorum est fides; hæc deique est & nostra. Amen, Amen.

F I N I S.